Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1243
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 254. *Incipit communeloquium a fratre Johanne Walense de ordine fratrum minorum editum.* Ita quidem: *Cum collectionis huius que potest dici summa collectionum siue communeloquium sint VII. partes* &c. Vides duo Nomina ab ipso Autore huic Operi suo theologico, historico, politico indita. Adde, quibus etiam venit, *Summa de regimine vitae humanae*, et *Margarita Doctorum*, et non mirabere, si haec confusionem pariant, quam nec ipse cavit *Waddingus*, qui *Communeloquium* a *Margarita Doctorum* distinxit. Praeit vero VII. dictas *Partes*, quibus omnia omnium vitae conditionum et muniorum officia utiliter docentur, Conspectus earum cum subdivisionibus, et tum demum opus ipsum inchoat: *Cum doctor sive predicator euangelicus sapientibus et insipientibus debitor sit* &c. Extrema sunt: *saluatoris nostri gratia illuminante studeat adinvenire.* Amabat *Guallensis*, *Galensis*, *Wallensis*, *Walleys*, qui a. 1285. non in patria *Anglia*, sed *Parisiis* decessit, *Loquia*. Reliquit enim praeter *Communeloquium* nostrum etiam *Breviloquium*, *Compendiloquium*, *Legiloquium*, *Floriloquium* &c. ut habes apud *Wadding. Fabric. Oudin.* et *Tannerum*, quorum tamen nemo novit Editiones principes *Communeloquii*, unam *s. l.* et *a.* f. alteram *Augustae* per *Ant. Sorg* 1475. f.

DXLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 21

Folior. 448. f. per duas columnas currente calamo exaratus, rubricis tamen distinctus, et olim, ut in anteriore theca notatum est, *Collegij Christi Strigoniensis* Commentarius est in *Librum IV. Sententiarum M. Petri Lombardi* praemisso *Distinctionum*, *Quaestionum*, et *Dubiorum textualium* conspectu. Opus ipsum *fol.* 11. ita insit: *Cum desiderarem vestris caritatibus in aliquo deseruire, et id exposuissem venerabilibus patribus Domino nostro abbati et domino priori, uisum est eis expedire, ut legam quartum sententiarum propter utilitatem materiarum, quia in ipso tractantur maxime quo ad septem sacramenta ecclesie.* Tractationis modum mox ita aperit Autor: *Cogitaui in processu rescindere methaphisicalia et philosophicalia, et materias subtiles et questiones magis curiosas quam fructuosas.* Sane laudabiliter. Coenobitam crederes. Est vero celeber Academiae *Vien.* Doctor *Nicolaus de Dinkelspühel* Coenobitarum et maxime *Mellicensium* O. S. B. amator, apud quos et pro quibus *Commentarium* hunc elaboravit ante an. 1424. Ita enim Codex ejus Monasterii testatur: *Lectura M. Nicolai de Dinck. habita cum fratribus in Mellico.* Adi, si lubet, *Mart. Kropfii Bibliothecam Mellic.* p. 167—71. *Nicolaum* vero nostrum non in hunc solum Librum, sed in totum *Magistrum Sententiarum* commentatum fuisse, jam